



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

Parisiis, 1644

XVII. Psalmodia mature & cum distinctione peragatur: ac musicus cantus, organorumque modulatio, ad deuotione[m] excitans, non lasciuam, in ecclesiis exhibeatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15644

XVI.

ANNO
CHRISTI
1527.

Cum autem deceat domum Dei sanctitudo, ut cuius in pace factus est locus, eius cultus sit cum debita veneratione pacificus: sit itaque iuxta Gregorii decimi Concilium generale Lugdunense ad ecclesiam humilis & deuotus ingressus: sit in ea quieta conuersatio, Deo grata, inspicientibus placita, quæ considerantes non solum instruat, sed & reficiat. Cessent in ecclesiis vniuersitatum & societatum quarumlibet Concilia, conciones & publica parlamenta. Cessent confabulationes quælibet: cessent vana, & multo fortius fœda & profana colloquia. Cessent postremo quæcumque, quæ diuinum possunt perturbare officium, aut oculos diuinæ maiestatis offendere: ne ubi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendantur peccata committi.

Mimi non
intrent ec-
clesiam ad
pulsandum
suis instru-
mentis.

Prohibemus idcirco, ne histriones aut mimi intrent ecclesiam, ad pulsandum tympano, cithara, aut alio instrumento musicali: neque in ecclesia, aut iuxta ecclesiam suis pulsent instrumentis. Prohibemus insuper, ne fiat deinceps festum fatuorum aut innocentium, neque erigatur decanatus patellæ.

XVII.

Et cum in ecclesiis Dei psalmodia cantanda præcipiatur, ut fidelium deuotio excitetur, in hoc nocturnum diurnumque officium, & Missarum celebritates, assidue clero ac populo sub maturo tenore distinctaque gradatione cantentur, ut eadem distinctione collibeant, & maturitate delectent. Propterea præcipimus, ut in ecclesiis sint musici cantus distincti ac discreti, mouentes cor ad deuotionem compunctionemque. Porro in ecclesiis prætextu musici cantus non sunt audiendæ publicæ cantilenæ & lasciuiæ. Neque enim, inquit Hieronymus, in tragœdiarum modum guttur & fauces medicamine sunt leniendæ; ne, dum blanda vox quæritur, congrua vita negligatur. Nam ut cantor minister Deum moribus stimulat, cum populum vocibus delectat, ita lasciuius animus dum lasciuioribus delectatur modis, eos sæpe audiens emollitur & frangitur. Curent ergo sacerdotes & clerici sic suos cantus instituere, ut modesta honestaque psallendi grauitate, placidaque & grata modulatione, sic audien-

ANNO
 CHRISTI
 1527.

dientium aures deliniant, vt prouocent excitentque ad deuotionem compunctionemque, non ad lasciuiam, cordisve aut animi titillationem.

Organorum vsum ecclesia a patribus ad cultum seruitiumque diuinum recepit. Nolumus itaque quod organici instrumentis resonet in ecclesia impudica aut lasciuia melodia, sed sonus omnino dulcis, qui nihil prater hymnos diuinos & cantica spiritualia repræsentet.

Organorū
 vſus.

XVIII.

Et vt in maioribus ecclesiis cultus Dei viui sanctior, iuxta maiorum traditiones, in melius reformetur, statuimus vt in cathedralibus ac collegiatis & conuentualibus ecclesiis horis debitis, signis congrua pulsatione præmissis, laudes diuinae per singulas horas, non cursim ac festinanter, sed tractim cum pausa decenti, præsertim in medio cuiuslibet versiculi psalmorum, debitam faciendo inter solenne & feriale officium differentiam, reuerenter ab omnibus persoluantur.

Horas autem canonicas dicturi, cum tunica talari ac superpelliciis mundis & cappis, iuxta temporum diuersitatem, ingrediantur ecclesias: caputia, almutias, vel birreta tenentes in capite. Qui cum in choro fuerint, grauitatem seruent, quam locus & officium exposcunt: non cum aliis confabulantes seu colloquentes, aut literas seu scripturas alias legentes. Et cum psallendi gratia ibidem conueniant, muta aut clausa labia tenere non debent: sed omnes, præsertim qui maiori funguntur honore, in psalmis, hymnis & canticis, Deo alacriter modulentur.

De granitate in choro seruanda.

Cum dicitur Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto, omnes consurgant.

Cum nominatur illud nomen gloriosum, Iesus, in quo omne genu flexitur caelestium, terrestrium & infernorum, omnes caput inclinent.

Philipp. 2.

Nemo ibidem, cum horæ in communi cantantur, legat vel dicat priuatim officium. Nam non solum officium quo obnoxius est choro subtrahit, sed & alios psallentes perturbat.

De officio horarum, non dicendo a quoquam priuatim in choro cum illis cantantur.

Super his debite obseruandis, aliisque ad diuini officii prosecutionem ac chori disciplinam spectantibus, decanus & capitulum, vel cui onus incumbit, diligenter in-

Concil. Tom 34.

Pppp